



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Si plures iudices in aliqua causa diceras proferant sententias,
quænam illarum valeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

S E C T I O III.

De sententiis latis à pluribus iudicibus super eadem causa.

§. I.

Si plures iudices in aliqua causa diversa proferant sententias, quanam illarum valeat?

In casu, quo plures hi iudices omnes sunt præsentes, dum diversas ferunt sententias, plurimum sententia sive majoris partis, quæ in unam sententiam convenient, tenet, ut tradit *Glossa in c. Final. b. t. V.* proferentibus. Et sumitur ex *Can. 1. & 2. dist. 65.* nisi vel ex speciali scripto aut privilegio quælibet sententia pro nulla habeatur, si non concordibus iudicibus votis lata sit; vel nisi causa decidenda sit ex consensu duorum Collegiorum, quo in casu non major pars quoad numerum personarum attenditur, sed major pars utriusque Collegii.

In casu vero quo duo sunt iudices, quorum quilibet diversam ab altero sententiam profert, vel plures quidem eorum sunt, in numero tamen æquali inferenda sententia discordant, tenet illa, si iudices sint ordinarii, & jurisdictionem in solidum quilibet eorum habeat, quæ pro reo fertur, non autem, quæ fertur pro auctore (cum favorabiliores sint partes Rei, quam Actoris reg. 115. ff. & promptiora sint jura ad absolvendum quam ad condemnandum. c. ex literis 3. de probat.) nisi sententia pro auctore in

causa favorabili, pro valore Matrimonij v. g. pro libertate, pro dote, pro valore testamenti &c. lata sit; his enim in causis, si iudices dicti æquali numero discordent, valer sententia, quæ pro auctore lata est, ob speciem causatum illatum favorem. Si vero sint iudices ad speciem tantum causam delegati, qui in æquali numero quoad sententiam discordant, tunc superior sive delegatus adiungendus est, ad quem causa sufficienter instruxa remitti debet pro sententia obtinenda, quia in tali casu neuter habet jurisdictionem in solidum (saltem quoad usum & exercitum) & unus sine altero procedere (ordinarii) aut sententiam ferre non potest.

§. II.

Vtrum ex pluribus iudicibus, vel Arbitris omnes, vel saltem major pars sententiam proferre debeat, an vero sufficiat, si unus eorum proferat?

Si unus iudicum vel arbitrorum, presentibus aliis, mandatibus aut consentientibus (saltem ex maiore parte) scriptam sententiam recitat, perinde sententi debet, ac si simul ab omnibus iudicibus vel arbitris recitata fuisset, quamvis enim sententia proferti non possit per alium, ut dictum, potest tamen proferti per alium, qui est de numero iudicum, modò in plurali numero loquatur. *Nos iudices, nos arbitri &c. c. Cùm ab uno. 4. b. t. in 6.* cùm talis sententia non profertur ab uno nomine Capituli, & Collegialis non sit.

Bbb 3

§. III.